

RECENS HABITÆ.

29

poribus maxime a Luna illustratur Tellus, iisdem minus vice versa a Terra illuminetur Luna, & e contra. Atq; hæc pauca de hac re in præsentī loco dicta sufficiant, fufius enim in *nostro Systemate Mundi*, vbi complurimis & rationibus, & experimentis validissima Solaris luminis e Terra reflexio ostenditur illis, qui eam a Stellarum chorea arcendā esse iactitant, ex eo potissimum, quod *a motu, & a lumine sit vacua*: vagam n. illā. ac Lunā splendore superantē. non aut fordiū, mundanarumq; fæcum sentinam esse demonstrabimus, & naturalibus quoq; rationib. sexcētis cōfirmabimus.

Diximus hucusq; de *Observationibus circa Lunare corpus habitis*; nunc de *Stellis fixis* ea, quæ hæctenus a nobis inspecta fuerūt breuiter in medium adferamus. Ac primo illud animaduersione dignum est, quod sc. *Stelle tam fixæ, quam errabundæ, dum adhibito Periscopillo spectantur, nequaquam magnitudine augeri videntur iuxta proportionem eandem secundum quam obiecta reliqua, & ipsamet quoq; Luna, acquirunt incrementa: verum in Stellis talis auctio longe minor apparet, adeo ut Periscopillum, quod reliqua obiecta secundum centuplam, gratia exempli, rationem multiplicare potens erit, vix secundum quadruplā, aut quintuplam Stellas multiplices reddere credas*: Ratio aut huius est, quod sc. *Astra dum libera, ac naturali oculorum acie spectantur, non secundum suam simplicem, nudamq;, ut ita dicam, magnitudinem se se nobis offerunt, sed fulgoribus quibusdam irradiata, micantibusq; radiis crinita, idq; potissimum, cum iam increuerit nox; ex quo longe maiores videntur, quā si ascitatis illis crinibus essent exuita: angulus enim visorius non a primario Stella corpusculo, sed a late circumfuso splendore terminatur*. Hoc apertissime intelligas licet ex eo, quod *Stelle in Solis occasu inter pri-*